



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Capitulare interrogationis ad Episcopos de Presbyteris criminosis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

CAPITVLARE INTERROGATIONIS

AD EPISCOPOS

DE PRESBYTERIS CRIMINOSIS.

Certum est Karolum Magnum multum laborasse ut quietam ac tranquillam vitam procuraret populis sibi subiectis, precipue vero viris ecclesiasticis, ac propterea omni studio in id incubuisse ut vitam eorum moreseque ad optimum exemplar componeret. Duæ in primis res animum ejus valde occuparunt, quid agendum foret de Presbyteris criminosis non convictis neque confessis, & quid Chorepiscopis liceret, quidve non liceret. Ea de causa Arnonem Archiepiscopum Iuvavensem & alios quosdam misit ad Leonem III. Pontificem Romanum anno DCCCXCIX. aut circiter, ut ejus responsis edoctus, rei finem imponeret quæ tum multum habebat difficultatis ac laboris. Interim regni sui Episcopos per literas admonuit legationis à se Romam misse, ut & ipsi serio cogitarent quid fieri deberet, ac postea in commune consulerent coram Imperatore. Epistola ejus missa ad Episcopos non extat integra. Superest tantum ea pars in qua agitur de Presbyteris criminosis, relata in libro v. Capitularium cap. XXXV. & apud Hincmarum in epistola XLVIII. cap. I.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ IMPERATORIÆ.

ET hoc vobiscum magno studio pertractandum est, quid de illis Presbyteris unde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sepiissime à nobis & progenitoribus atque antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hæcenus definitum. Vnde ad consulendum patrem nostrum Leonem Papam sacerdotes nostros mittimus. Et quicquid ab eo vel à suis perceperimus, vobis, unà cum illis quos mittimus, renuntiare non tardabimus. Vos interdum vicissim tractate adtentius quid ex his vobiscum constituamus unà cum prædicti sancti patris institutionibus; ut murmur cesset populi, & nos his satisficientes, in læsi, Domino auxiliante, ab utriusque maneamus.

CAPITVLA DATA POST REDITVM LEGATORVM

A SEDE APOSTOLICA.

De Chorepiscopis, ne deinceps fiant.

VI. 127.

Placuit ne Chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant, quoniam hæcenus à nescientibus sanctorum patrum & maxime Apostolicorum decretis suisque quietibus ac delectationibus inhaerentes facti sunt. Idcirco & olim per sepe & nostro à sancta apostolica sede tempore sunt

prohibiti, & ne deinceps à quoquam tam ordinante quam ordinari cupiente talis præsumptio assumatur, à cunctis nostri regni Episcopis est in synodo canonicè prohibitum.

Ut si Chorepiscopi aliquam consecrationem aut confirmationem fecerint, ab Episcopis canonicè reformentur.

II. Hominum confirmatio, Ecclesia. VI. 129.